

V. 58. *Anato formata suo pro a natoque ornata suo.* V. 72. *trabi meruit pro meruerit.* V. 75. *Ad clavim quidem uterque, sed legere malim ad clavum.* V. 85. *in gutture vocem pro nocens.* V. 90. *coelo terraeque pro coeli.* V. 103. *quia verba pro quo verba.* V. 104. *Quem liceat pro licet.* V. 110. *duodena refulgent pro refulgens,* et v. seq. ut puto *jaculantur pro jaculatur.* V. 115. *simul repetens pro repetentes.* Haftenus.

## CLII. VII. 8. 27

345 Codex membranaceus Theotisc. Sec. IX. exeuntis. Folior. 194. f. Forma pene quadrata. Luculente scriptus, rubricis distinctus et tribus Iconismis ornatus complectitur *Otfridi Monachi Wizanburgensis seu Weissenburgensis* O. S. B. in *Alsatia Rabani Mauri* discipuli, qui medio Sec. IX. claruit, *Volumen Metricum Evangeliorum in Libros V. distinctum* praevia Dedicatione pariter metrica ad *Ludovicum Orientalium Regnorum Regem* Ludovici Pii filium, dictum Germanicum, Praefatione prosaica ad *Liutbertum mogontiacensis urbis archiepiscopum*, et iterum Poemate ad *Salomonem episcopum*, I. hujus nominis Constantiensem, quibus ad Operis calcem accedit Carmen inscriptum: *Otfridus Uuizanburgensis Monachus Hartmuate* (Hartmutho) *et Uuerinberto Sancti Galli Monasterii Monachis.* Descripsit pretiosum hoc patriae Antiquitatis *Κειμήλιον* ea, qua solet,

ubertate Cl. *Lambecius Comment.* L. II. p. 415 — 65. Descriptionem hanc Cl. *Kollarius* loco motam in T. I. *Analector. Vindob.* ad col. 643. repraesentavit, Opus ipsum *Litteraturae vetustae Teutonicae* Statores *Job. Schilterus* et *J. G. Scherzius* Codici nostro collatum omni cum eruditionis adparatu T. I. *Theauri Antiquit. Teutonic. Ulmae* 1728. f. in lucem promovere. Doctissimorum Virorum curis non nisi paucula quaedam adjicere liceat. *Lambecius* omni occasione *Math. Flacium Illyricum*, qui primus *Otfridum* ediderat, carpenti intentus p. 427. notat, in ejus editione pro *Francisca* (lingua) male legi *Franzisca*. Atqui ita legitur et in nostro *Cod.* in *Praef. ad Liutbert. fol. 4. p. 2. evangeliorum partem franzisce compositam.* Titulus Operis nobis *fol. 9. p. 2.* habet: *Liber — Domini Gratia Theotisce conscriptus.* Id *Lambecius* interpretatur p. 419. de *Divina benignitate et permissione.* Recte sane, si *Otfridus* non *Domini*, sed *Dei* scripsisset. Sic vero *Dominum* Regem *Ludovicum* subaudire malim, in cujus *gratiam* laborem ille suscepit, ut canit: *Themo dibton ih thiz buah.* Iconismus *Christi Hierosolymam* Dom. *Palmar. intrantis*, qui in edit. *suprac.* ad p. 241. exhibetur, e *Cod.* nostri *fol. 112.* expressus est; turbam tamen illam, quae *Servatorem* comitatur, recentior, rudiorque manus adpinxit. Ab eadem manu totus profectus est Iconismus alter *Caenam* ul-

ultimam referens, in quo nec *Judae* nimbus suus deest. Nobis p. 2. ejusdem fol. comparet; divisit *Scherzius* et loco magis congruo ad p. 256. inferuit. De tertio Iconismo egit jam *Lambecius* p. 432. qui, ut probaret, *Christum* etiam tum vivum in Cruce proponi, addere potuit, latus carere vulnere. — Sed haec minuta.

## CLIII.

484 Codex membraneus lat. germ. Sec. XIV. Folior. 107. 4. nitide per duas columnas exaratus, minio distinctus et olim *κρημα* Monasterii *sancti floriani patauensis dyoc.* exhibet: I. *Επιτομην Historiae Veteris Testamenti* absque Titulo sic incipientem: *In principio creavit deus celum et terram. id est. continens et contentum videlicet celum Empyreum et angelicam naturam. Creatus est autem in principio mundus hoc est in filio* &c. Non abstinet Autor traditionibus incertis. Ita, dum agit de innoxia primorum Parentum nuditate, subdit: *Vnde sanctus Zacharias cum sanctam Elyzabeth*

*cognosceret ad gignendum sanctum precursorem domini, tamen videre noluit.* Multa praeterea *αποκρυφα* ex *Historia Scholastica, Vincentio Bellovac. &c.* admiscet; circa Reges vero *Assyriae, Persiae &c. Flav. Josepho* utitur. Finit in *Machabaeorum* Historia his verbis: *Cepit Johannes predicare Baptismum penitencie in remissionem peccatorum.*

II. fol. 48. Glossarium Vocum hebr. graec. et lat. adjecta quandoque significatione germanica, hoc initio: *Abba pater syrum nomen est. Absida Ceres ceruistarium vel tabernum. Abilina (Avellana) nux uel arbor nucaria id est basel. Abegelata id est inuiolata. Ambage sunt uage mulieres. Abies genus arboris seu tann &c.* Atque ita ordine alphabetico proceditur usque ad: *Zingiber genus tritici. Zygos genus, Jugum.*

III. fol. 106. p. 2. finem faciunt Nomina Avium, Quadrupedum, Arborum et Piscium versibus hiulcis inclusa, quibus minio inter lineas impositus est Significatus Teutonicus. Versuum initium:

De Avibus: *Hic uolucres celi referam sermone fidei.*

De Quadruped. *Nomina paucarum sunt hic referenda ferarum.*

De Arborib. *Ecce stilo digna ponam campestria ligna.*

Pisces tantum distichum faciunt, cui minio subiectum:

*Penna gradum siste quoniam liber explicit iste.*

Lubet hic in Popularium gratiam aliquas interpretationes adscribe-

re: *Merops Grunspach. Monedula Tache. Noctua Aubull. Amarellus*